



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **AGUARICOËNSIS**\* PRAEFECTURA  
APOSTOLICA AGUARICOËNSIS AD GRADUM

**VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR, NOMINE HAUD MUTATO** Haud ignoramus in Aequatoriana Republica per Fratres Minores Capuccinos factum esse, recentiore praesertim aetate, ut clara Aguaricoënsis Praefectura Apostolica ipsis commissa magnopere in ministeriis et in institutis progredere ad firmiorem Communitatis Ecclesialis stabilitatem pertinentibus. Quare iam nunc, quo significantius eiusmodi Religiosorum pastorales curae in id impensae re aestimentur, bonum quidem videtur si memorata Praefectura digno aliquo etiam honore afficiatur. Hac ipsa de causa, cum constet id in votis esse quorum interest, sententiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositorum, nuper ad Nos relata, ratam habemus deque plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae hisce Litteris Praefecturam Apostolicam Aguaricoënsis ad gradum honoremque Vicariatus Apostolici evehimus, eodem nomine appellandi iisdemque finibus continendi hucusque ipsius Praefecturae propriis. Novo autem Vicariatus Apostolico eadem iura aut privilegia tribuuntur cuiusque Vicariatus Apostolici propria. Ceterum, quae hic statuimus legeque sanximus, eadem omnino firma esse volumus nunc et in posterum, contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

DERMOT J. RYAN, ARCHIEP. DUBLINEN.

*S. Congr. pro Gentium Evang. pro-Praef.*

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 12, pp. 1042-1043

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana